



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Extravagantes Qvatvor Benedicti xi. & Ioan. xxij. Inquisitionis officio
congruentes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

fontus Castus lib. 2. c. 17. de iusta heret. punie. l. quisquis. §. denique. C. ad leg. Jul. maiesi. facit text. in c. si quis. 6. q. 1. & in c. miror. 50. distin. cum similibus. id quod sanciuit nominatim Federicus Romanorum Imperator in d. l. inconsutilem, in fine his verbis. Apud nos pro talibus nemo interuenire præsumat, quod qui fecerit, in ipsum nostræ indignationis aculeos non immerito conuertemus.

Et plene verum est, interdicitum esse pro hæreticis intercedere; sed cum hoc crimen sit grauissimum, pro quo imponitur pena traditionis brachio seculari, & expulsiõis ab ecclesiæ foro, nec amplius pertineat ad Ecclesiã de tali delinquente indicare, ideo

A apud alienum forum pro eo intercedunt iudices Ecclesiastici, ita Panormitanus in hoc. c. nouimus, n. 8.

Sed melius forte dici posset, vetari quidem intercessionem, quæ tendat ad fauorem heretici, uel ad impedimentum iustitię, non autem eam, quæ conducit ad uitandam irregularitatem, & ab ipso iure nominatim præscriptam, nemo enim dubitat multis modis intercedi posse. Alię possunt solutiones afferris, quę ad nostram breuitatem non pertinent.

Ioannes Rossensis articulo 33. aduersus Lutherum non procul a fine vers. Haud recte vocas. aliter quam Doctores hic videtur interpretari hoc c. nouimus, quę nos libenter hic missa facimus.

EXTRAUAGANTES ALIQVOT DIVERSORVM ROMANORVM PONTIFICVM

Inquisitionis officio congruentes.

De hæreticis.

Benedictus XI. Inquisitoribus hereticæ prauitatis.

Declarat decretalem, Per hoc, eod. tit. lib. 6. bonæ hereticorum per diocesanos usuruari vetans.

C A P. I.

X eo, quod quædam nouella constitutio super negotio hæreticæ prauitatis à bonę memorię Bonifacio Papa VIII. prædecessore nostro edita, continet, quod in ipso negotio, per diocesanos Episcopos & Inquisitores super eodem facto inquiri valeat, cum munitur vel diuisim: & si diuisim processerint, teneantur sibi inuicem communicare processus: Nos cõsulere uoluitis, quando, & quoties sit ista processuum cõmunicatio faciendã. Nos aut de fratrum nostrorum consilio, intelligendo diocesanos & Inquisitores tunc demum diuisim procedere: cõ iij. & illi separatim, non quando Episcopi tantum, Inquisitores tantum procedunt: Consultationi vestrę breuiter respondemus, quod quãdo utriusque procedunt seiunctim, sibi debent in fine tantum, dum nil restat agendum nisi quod solum sententia promulgetur, cõmunicare processus. Licet enim quibusdam potuisset uideri per legē ciuilem, quod sicut quando aliquis ex actitatis coram alio, debet, ferre sententiam, ut puta, quãdo administrator delegat causam sibi sententia referuata: saltē in principio, id est contestatione, rursus in medio & semel in fine, quæ sunt examinata audire debet ita & in casu præsentis ubi ex actis coram alio habitis, alter profert sententiam, sic ter huiusmodi acta recēseat, quod fieri non potest, si eorum denegetur editio: tamen id æquitas canonum nõ admittit. Vnum sane casum excipimus, si alter

C commodè non possit procedere, nisi alteri actis uisus. Ex hac enim causa semel tantum (ut fraudi locus non fiat) in toto negotio copia tribuatur. Verum, quia nonnulli diocesani partem partis pro uentum de hæreticorum bonis Inquisitionis officio deputate propter expēsas quas dum inquirunt in sæpedito negotio faciunt, a uobis exigere moliantur: hoc tantum iuri absonum (cũ ordinarij sint, ideoque officium tale, quod eis incūbit, proprijs eos oportet explere stipendijs) fieri penitus prohibemus. Rationem autē iudem diocesani prouentum obuenientium, ex Inquisitionis officio a uobis non obstate aliqua cõstitutione, cõsuetudine vel mandato contrarijs nõ exposcant sed eam Camere nostrę vel alij cui nos vel successores nostri Romani Pontifices mādarem reddēdã, reddatis, quę generaliter obseruari iubemus. Dat. Late ran. vi. Nonas Mart. Pontificatus nostrri anno primo.

† Emericus par. 3. q. 104. 105. & seq. ubi dixi.

Episcopi pro prijs sumptibus in hereticos debent animaduertere. † Al. obuentionum.

Extravagan. Domini Ioannis XXII.

Inquisitores hereticę prauitatis censuras Ecclesiasticas fulminare non possunt in officiales & nuntios sedis Apostolicę sine ipsius licentia speciali: sed de eorum excessibus, informationem facere possunt, & deinde Romano Pontifici significare.

C A P. II.

V M. † Matthæus de Pontuian. ordinis Prædicatorum, Inquisitor hereticę prauitatis in Regno Siciliae auctoritate Apostolica deputatus, friuola occasione quaesita, ac nostra & Apostolica sedis reuerentia & honore, postpositis, in dilectum filium magistrum Guillelmum de Baletto Archidiaconum Foroluieniensis capellanum nostrum, Capanię maritimęque rectorem, excommunicationis sententiam, incõsultis moribus non sine multa temeritate duxerit proferendam? Nos uolentes de cetero taliu præsumptoribus, obuiare, vniuersis & singulis tam ordinarijs,

† Emericus par. 3. q. 26. ubi dixi, & de intellectu Lapsus responso quodam incipien. Factum super quo. qd̄ habetur post consilia Odradi.

† Al. præsumptionibus.

ordinarijs, quàm delegatis iudicibus ac Inquisitoribus prauitatis eiusdem, & alijs vniuersis & singulis, quacunq; auctoritate fungatur, auctoritate Apostolica districtius in hibemus, & mandamus, expresse, ne contra nostros & Apostolicæ Sedis officiales vel nuntios, aut ipsorum aliquem, quavis occasione vel causa, absq; nostra & Apostolicæ sedis licentia speciali, eis per sedis ipsius litteras concedenda, plenam faciente de tenore præsentium metione, procedere quoquomodo præsumant, aut in eos vel ipsorum aliquem excommunicationis, vel suspensionis, seu qualis alias sententias promulgare. Nos enim, ex nunc decernimus irritum & inane quicquid contra inhibitionem & mandatum huiusmodi contigerit attentari. Volumus tamen quod diocesani & Inquisitores prædicti super ijs, quæ negotium tangunt, fidei, alij vero super ijs, quæ res tangunt, vel publicæ vel priuatæ, siue ordinarij siue delegati, quacumq; auctoritate fuerint, prout possent ad eorum officium pertinere, si quid per officiales & nuntios ipsos indebitè forsan attentatum extiterit, se plenius informare idq; nobis significare studeant, vt proouideri sup hoc de remedio opportuno valeamus. Nulli ergo, &c. Dat. Aui-nione xij. Calen. Ianuarij Pontificatus nostri anno vndecimo.

Officialium
Sedis Apo-
stolicæ delicta,
papæ sunt
nuntianda, nō
per alios iudi-
ces coacten-
da.

Idem.

Tres errores magistri Ioannis de Poliaco Doctoris Parisiensis, circa materiam confessionis sacramentalis, & potestatem absoluendi hic damnantur. Eosdem etiam errores dānauit Calixtus III. Roma per extrauagan. incipien. Inter cetera, quæ habentur inter priuilegia Fratrum ord. Præd. fol. 122.

C A P. II.



AS electionis Doctor eximius & egregius prædicator, cuius prædicatione mundum docuit vniuersum, præsumptuosam illorum audaciam refrænare sollicitus, qui prudenciam propriam in nitentes in errores proprios prolabantur, nō plus sapere quàm oportet sapere, sed ad sobrietatē sapere, salubri doctrina suggestit: & iuxta Sapientis eloquium: Quisq; suæ prudentiæ modum ponat. Sane dudum, cum dilectum filium magistrum Ioanē de Poliaco prædicti sacre Theologie Doctorē certis ex causis de fratrum nostrorum consilio ad nostram præsentiam vocauissemus: fide digna relatio ad nostrum perduxit auditum quod ipse in quibusdam articulis tangentibus penitentiam sacramentum non sobrie, sed perperam sapiebat in scriptis articulos periculosos continentes errores, docens publicè in suis prædicationibus, & in scholis. Primo si quidem astruens, quod confessi fratribus habentibus licentiam generalē audiendi confessiones, tenentur eadē peccata quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio sacerdoti. Secundo, quod scilicet, omnis vtriusq; sexus, edicto in Concilio generali, Romanus Pontifex nō potest facere, quod parochiani nō teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti confiteri, quem dicit esse parochialis cura

Rom. 12.

Prou. 23.

† De hoc late
Eym. hac
2. p. q. 8.

† Habetur in
c. omnis, de
penit. & re-
missio.

tū. Immo nec Deus posset hoc facere, quia (vt dicebat) implicat contradictionē. Tertio, quod Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessionē. Immo nec Deus, quin confessus habenti licentiā, teneatur eadem confiteri proprio sacerdoti, quem dicit esse (vt præmittitur) proprium curatum. Nos igitur scire volentes si suggesta nobis veritate haberent, articuloꝝ præmissorum copiam eidem magistro Ioanni fecimus assignari, & ad sui defensionē plenam audientiam sibi præbui-mus tam in nostra & fratrum nostrorum præsentia in consistorio, quam alias coram aliquibus ex ipsis fratribus per nos ad huiusmodi officium deputatis. Verum licet præfatus magister dictos articulos, & contenta in ipsis defendere niteretur: assererat tamen se paratum credere & tenere in præmissis & alijs, quæ tenenda & credenda esse sedes Apostolica diffiniret. Nos igitur attendentes, quod prædictorum articuloꝝ assertio, prædicatione, & doctrina redundare poterant in multarum perniciem animarum, ipsos per prælatos magistros in Theologia examinari fecimus diligenter. Nos ipsi etiā cum dictis fratribus nostris collationem toletem & examinationem habuimus super his. Per quas quidem collationem & examinationem super his habitas cōperimus præmissos articulos doctrinam non sanam, sed periculosam multum, & veritati contrariam continere. Quos etiam articulos omnes & singulos, idem magister Ioannes, veris sibi rationibus opinionem dudum, suam habere contrarijs demonstratis, in consistorio reuocauit: asserens se credere eos non veros, sed ipsorum contrarium verū esse, & dicens se nescire rationibus sibi factis, in contrarium respondere. Ideoque ne per assertionem, prædicationē, & doctrinā huiusmodi in errorem (quod ablit) animarum simplicium prolabantur, omnes articulos, & quemlibet eorum, tanquam falsos & erroneos, & a doctrina sacra deuos, auctoritate Apostolica condemnamus, & reprobamus, de fratrum nostrorum consilio prædictorum, doctrinam contrariam veram, & contrarium esse catholicam asserentes: scilicet quod illi, qui prædictis fratribus confitentur, non magis teneantur eadē peccata confiteri iterum, quàm si ea alias confessi fuissent eorum proprio sacerdoti iuxta Concilium generale. Optantesq; veritatis vias notas esse fidelibus cunctis, & prædictis erroribus præcludere aditum, ne subintrent errores, scilicet. Alexan. IIII. & Clemē. IIII. Romanorum Pontificum prædecessorū nostrorū vestigijs innitendo, vniuersis & singulis districtius in hibemus, ne quisquā præmissos articulos per eos (vt præmittitur) damnatos & reprobatos, & contenta in eis vel aliquo ipsorum, vt potè à catholicis metibus respuenda, tenere audeat seu defendere, quomodolibet, vel docere. Quocirca vniuersitati vestræ per Apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus vniuersis & singulis vestrum, in ciuitatibus & diocesis vestris conuocato clero & populo cōmuniter omnia præmissa & singula per vos, seu per alios solenniter publicetis: nos etiā eidem magistro Ioanni mandamus, quod in scholis & sermone Parisijs, prædictos articulos, & con-
tenta

zenta eis tanquam veritati contraria propria vo-
cis oraculo, asseueratione constanti publicè de-
beat reuocare: quod se facturum dicitur magister
Ioannes efficaciter repromisit. Dat. Auinione
viij. Calen. Augusti. Pōtificatus nostri anno V.

*Extravagans Domini Benedicti, de vi-
sione beatorum.*

Dannat multos errores de visione beatorum.

BENEDICTVS, Episcopus, ser-
uus seruorum Dei ad perpetuā rei me-
moriā. Benedictus Deus in donis suis,
& sanctus in omnibus operib. suis, qui
sacrosanctam Romanam, Catholicā, & Aposto-
licam Ecclesiam, quam vt vineam plantauit dex-
tera sua, quamque vt præcipuam in Ecclesiarum
omnium caput erexit, vt victricem, & dicte Do-
mino ad Petrum: Tu es Petrus, & super hanc pe-
tram ædificabo Ecclesiam meā: sua miseratione
non deserit, sed per beatos Apostolos suos, præci-
puè Petrum, & Paulū singulares eiusdem Ecce-
lesie defensores, pia benignitate, & continua pieta-
te custodit: quatenus eisdem rectoribus guberna-
ta, in se stabilis maneat, fundata supra firmā pe-
tram, omnesque Christianæ fidei cultores illi obe-
diant, illi pareāt, illi intentēdant, sub illius magi-
sterio degant, sub eius disciplina, & correctione
consistant; Non in illa dogmatizetur improuidū
inseuerat incautum, in fide temerarium ingera-
tur: Sicque declinent homines à malo, & faciant
bonum, ambulent per vias rectas, & ad meliora
per sancta desideria proficiscantur: sperent iusto-
rum propinquas æternæ vitæ retributiones, timeāt
malorum inferni calamitates non remotas: Nam
scriptum est: Ecce venio cito, & merces mea me-
cū est, reddere unicuique iuxta opera sua. Quod
si secus à quoquam fuerit attēdatur, id protinus
sua auctoritate, pennis etiam adiectis, prout expe-
dire viderit, prorsus euellat. Pro qua, vt in se ipsa
sehsistens alios informaret, passionis suæ tempo-
re Saluator Noster Iesus Christus patrē exorati-
se perhibetur dicens Simon, ecce Satanas expe-
tuit uos vt cribraret sicut triticum: Ego autem
pro te rogavi, vt non deficiat fides tua, & tu ali-
quando conuersus, cōfirma fratres tuos. Sane du-
dum tēpore felicis recordationis Ioannis XXII.
prædecessoris nostri, inter nōnullos etiam Theo-
logicæ facultatis magistros, super visione anima-
rum iustorum hominum post mortem suam, in
quibus nihil erat purgabile, cum de hoc sæculo
decesserunt, vel si fuerat, iā purgatum fuerat ex-
toto: an diuinam essentiam videant ante corporū
suorum resumptionem, & iudicium generale. Et
super nōnullis alijs orta materia quæstionis, ipso-
rum aliqui negatiuam, aliqui affirmatiuam, alij
vero secundum suas imaginationes, de visione di-
uinæ essentia ab animabus huiusmodi, diuersa,
& diuersimodè ostendere nitebantur: prout ex
dictis & scriptis ipsorū noleatur apparere; super
reiectis vero suis concertationibus, quas hic cau-
sa breuitatis omittimus, quia ita ex nostris deter-

Aminationibus inter se etiam decidebant. Cum-
que idem prædecessor noster, ad quem prædicto-
rum determinatio pertinebat, ad decisionē con-
certationum huiusmodi se pararet, in suo confi-
torio publico, tam fratribus suis Sanctæ Roma-
næ Ecclesie Cardinalibus, de quorum numero
tūc eramus, quam prælatis, & magistris in Theo-
logia, qui multi aderant præfentes iniungēdo di-
strictius, & mandando, vt super materia de visio-
ne prædicta, quando requirerentur ab eo, delibe-
rate vnusquisq; diceret quod sciret. Tamē mor-
te præuentus, sicut Domino placuit, perficere il-
lud nequiuit. Defuncto itaque prædecessore præ-
fato, nos diuina dignatione ad apicē summi Apo-
stolatus assumpti, diligentius attendentes, quan-
ta ex præmissis eorum concertationibus non so-
luta, animarum imminerent & pericula, quanta
exinde possent & scandala suboriri, vt ipsorū ve-
ricitas pereat, & veritatis soliditas innotescat: habi-
ta prius super prædictis sollicita examinatione, &
diligenti deliberatione cum fratribus nostris di-
ctæ Romanæ ecclesie Cardinalibus, de ipsorum
fratrum consilio, hac in perpetuum valitura con-
suetudine, auctoritate Apostolica diffinimus, qd
secundum communem Dei ordinationem, ani-
ma sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante
Domini Nostri Iesu Christi passionem deceffe-
runt: nec non sanctorum Apostolorum, Martyrū
Cōfessorum, Virginum, & aliorum fidelium de
sanctorum post sacramentum batisimi ab eis su-
scēptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando
decesserunt, nec erit quando decedent etiam in
futurum, vel si tunc erit aliquid purgabile in eis-
dem, tamen post mortē suā purgauerint: & atque
animæ puerorum eodem Christi bapuzandorum, dum fuerint bapuzandi, ante vsum liberi arbitrij decedentium, mox
post mortem suam, & purgationē præfatā in illis
qui purgatione huiusmodi indigebant, etiam an-
te resumptionem suorum corporum, & iudicium
generale, post ascensionem Saluatoris Domini
Nostri Iesu Christi in cælum, fuerunt, sunt, &
erunt in cælo cælorum regno, & Paradiso cæle-
sti cum Christo sanctorum angelorū cōsortio ag-
gregata, ac post Domini & Iesu passionē, & mor-
tem viderunt, & vident, & videbunt diuinā esen-
tiā immedatē, se bene, clarē, & apertē eis & ostē-
dentē, quōdque sic videntes eadem diuinā essentia
perfruentur: Necnon quōd tali uisione, & frui-
tione eorū animæ, qui iam decefferunt, sunt verē
beata, & habēt vitā, & requiem æternā, & etiā
illorum, qui postea decedent, eandē diuinā vide-
bunt essentia, ipsaq; perfruentur ante iudicium
generale, ac quod visio huiusmodi eiusq; fructus
actum & fidei, & spei in eis euacuat, prout fides &
spes propriē Theologicæ sunt virtutes. Quodque
postquam inchoata fuerit vel erit talis intuitiua,
& facielis visio, et fruiro in eisdem, eiusdem ui-
sio, & fruiro sine aliqua intermissione, & seu eua-
cuatione prædictæ uisionis, & fruirois cōtinua-
ta existet, & continuabitur usque ad finale iudi-
cium, & extunc usque in sempiternum.

Diffinimus insuper, quod secundum Dei or-
dinatio-

† al. diffide-
bant.

† al. imminēt
† al. possunt.
† al. ut ipso-
rum veritas
pateat.

† al. purga-
bunt.

† al. Christi.

† al. illis.

† al. & om-
niū illorum.

† al. virtutē.

† al. interci-
sione.

† al. existit.

† al. & verita-
tem.
Matth. 16.

Apoc. 22.

dinationem communem, anime decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi penis infernalibus cruciantur: & quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, redditori de factis proprijs rationem, ut accipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.

Decernentes predictas nostras definitiones seu determinationes, & ipsarum singulas ab omnibus fidelibus esse tenendas. Quicumque autem deinceps predictarum nostrarum definitionum seu determinationum, ac singularum ipsarum contrarium scienter & pertinaciter tenere, conferre predicare, docere, aut defendere, verbo vel scripto presumpserit, contra eum sicut contra haereticum modo debito procedatur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, &c. Datum Avinionae iiii. Calen. Februarij, Pontificatus nostri anno secundo.

COMMENT. XXI.

Benedictus Episcopus. *Alfonsus Castrus li. 3. aduersus haereses, verbo, Beatitudo. haeresis 6. & Bartholomaeus Medina apud Sanctum Thomam 1. 2. q. 4. art. 5. & alij plerique, hanc extraneam tribuunt Benedicto Papa eius nominis Vndecimo. Item in Directorio Barcionen. impresso, cuius lectio nunc in Priori editione sumus sequuti, Benedicto Vndecimo tribuebatur, id tamen ita esse non potest, nam cum in hac extraneam fiat mentio Ioannis XXII. qui post Benedictum Vndecimum Pontificatum gessit, nullo modo potuit Benedictus Vndecimus eius meminisse Pontificis, qui nondum Pontifex factus fuerat. Quod autem Benedictus Vndecimus antecesserit Ioannem XXII. manifestum est ex catalogo, serie, seu Romanorum Pontificum Chronologia, unde apparet Benedicto Vndecimo successisse Clementem V. Clementi Ioannem XVII. huic vero Benedicto Duodecimum anno Domini 1334. Quare omnino dicendum videtur hoc scriptum Benedicto Duodecimo esse: quod etiam ex verbis rescripti constare potest, ubi post longam mentionem factam a Benedicto de Ioanne XXII. subditur ita: Defuncto itaque praedecessore praefato, nos diuina dignatione ad apicem summi Apostolatus assumpti, &c. Manifestum est autem Ioanni XXII. immediate in Pontificatum successisse Benedicto Duodecimo. Dominicus etiam Sotus lib. 4. Sent. dist. 45. q. 1. ar. 3. concl. 3. Benedicto Duodecimo tribuit, quamuis perperam ibi dicatur, hanc extraneam incipere, Animas purgatas. cum incipiat. Benedictus Deus.*

Referunt eam praeter Emericum hic, *Alfonsus Castrus praecitato loco, & Marsilius lib. 4. Senten. q. 13. art. 3. & alij.*

Iam Emericus ideo retulit, quia haereticus in ea declaratur, qui auderet asserere scienter aliquid contra quam hic statuitur, ac definiatur de visione beatorum & punitione damnatorum.

Edita vero fuit anno secundo Pontificatus Sanctissimi Domini Benedicti Duodecimi, qui incidit in annum 1335. ut ex serie et chronologia annorum Pontifi-

corum colligi non obscure potest, ad componendas & sedandas quaestiones controuersas de visione beatificae animarum beatarum, & nonnullis alijs, quae multo & frequenti litteratorum conflictu agitabantur.

Primum itaque catholicum dogma, quod hic definitur, tale est: Post Ascensionem Saluatoris Domini nostri Iesu Christi in Caelum Anima sanctorum, in quibus vel nihil erat purgandum cum decesserunt, nec erit quando decedent in futurum, vel si tunc erit aliquid purgandum, post mortem tamen purgabunt; item anima puerorum baptizatorum, qui iam decesserunt, aut baptizandorum in posterum & decedentium ante usum liberi arbitrij, mox ut decesserint ante resurrectionem corporum & iudicium generale, recipiuntur in Caelum & diuinam essentiam clara visione intuentur.

Alterum dogma est Anima decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi penis infernalibus cruciantur.

Olim controuersum fuit, num anima sanctorum usque ad diem iudicii Deum viderent, & diuina visione fruuntur, cum multi insignes viri & doctri- na & sanctitate clari tenere viderentur, eas nec uiderent, nec frui usque ad diem iudicii, donec receptis corporibus una cum illis diuina beatitudine perfuerint: nam Ireneus, Iustinus Martyr, Tertullianus, Iulianus, Augustinus, Lactantius, Victorinus, Prudentius, Theodoretus, Aretas, Oecumenius, Theopbilactus, & Euthymius, huius referuntur fuisse sententiae, ut commemorant Castrus, & Medina praecitatis locis, & Sotus lib. 4. Sent. dist. 45. q. 1. art. 3.

Ceterum neque hi, neque alij eiusdem opinionis sectatores, in ea re haereticis, aut de haeresi suspecti dici possunt, etiam si contra veram sententiam senserint, antequam per Ecclesiam esset definitum, quid in tanta controuersia tenendum ac credendum foret, iuxta ueram & communem sententiam Sancti Thomae, & Caietani, par. 1. q. 33. art. 4. de qua diximus copiose supra commentario 1. huius 2. par. super c. Dubius, de haeret. quare impune & citra haeresis notam potuerint eo tempore quamlibet partem sequi. At post Ecclesiae declarationem non licet absque crimine haeresis (ut hic dicitur) contrarij scienter & pertinaciter tenere, conferre, predicare, docere aut defendere.

Nec defuerunt etiam viri graues & sanctitate & eruditione insignes, qui iam olim hoc ipsum non obscure professi sunt, quod Dominus Benedictus Duodecimus hic declarauit: nam uidetur Augustinus, Ambrosius, & Chrysostomus, alijs in locis, & Hieronymus, Gregorius et alij, ut praecitati referunt, aperitissime hanc catholicam sententiam sunt amplexi. Et Innocentius Papa III. in c. Maiores, §. caute tamē extra de baptis. & eius effect. idem statuere uidebatur, dicens: Quoniam etiam originalis culpa remittitur per circumcisionis mysterium & donatio- nis periculum vitabatur, non tamē perueniebatur ad Regnum caelorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus oblatum: Sed per sacramentum baptismi Christi sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum caelorum et peruenitur, cuius ianuam Christi sanguis fidelibus suis misericorditer reseruit. haec Innocentius.

Idem

idē Innocentius tertius (vt mibi videtur) in Apo-
 stolica, extra de presbytero non baptizato, eadē nō
 obscure definire ac stabilire videtur sententiā in hęc
 verba: Inquisitioni tuę taliter respondemus, pres-
 byterum, quem sine vnda baptismatis extremū
 diē clausisse significasti: quia in sanctę matris Ec-
 clesię fide, & Christi nominis confessione perfe-
 ueravit, ab originali peccato solutum, & cęlestis
 patrię gaudiū esse adeptū asserimus incūctāter.

Post hęc Benedictus in hac extrauaganti lōge
 uberiorē et expressiorem definitionem edidit: quam
 etiam cōcilium generale octauum seu Florentinum
 sub Eugenio IIII. celebratum, sessio. ult. circa finem
 anno Domini 1439. clarē et aperte tradidit his uer-
 bis: Definimus illorum animas, qui post bap-
 tisma susceptum, nullam omnino peccati maculā
 incurrerūt, illas etiam, quę post contractam pec-
 cati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem
 exuta corporibus, (prout superius dictum est)

A sunt purgate, in cęlū mox recipi, & intueri clarē
 ipsū Deū trinum, & vnū, sicuti est, meritorū tñ
 diuersitate alium alio perfectius, illorum autem
 animas, qui in actuali mortali peccato vel solo
 originali decedūt, mox in infernū descēdere, pę-
 nis tamen dispartibus puniēdas. *hactenus cōcilium.*

A itque ex his consequitur, Gręcos & Armenos
 nunc potissimum post has Ecclesię definitiones vel
 ex hoc solo hereticos esse, qui asserunt, animas defun-
 ctorum suis corporibus exutas, non habere pęnam
 vel gloriam vsque ad diē iudicij, quos refert &
 consulat egregiē Guido Carmelita in summa de hęc
 resibus titu. de hęcresibus Gręcorum, cap. 7. &
 tit. de hęcresibus Armenorum cap. 5.

B Ex hac extrauaganti Nicolaus Emyericus, infra
 in hac 2. p. q. 8. ver. In extrauaganti autem. duo
 decim hęcreses damnatas subtiliter colligit, & toti-
 dem inde catholicas veritates illis hęcresibus con-
 trarias comprobari verissimē admonet.

LITTERÆ DECEM APOSTOLICÆ

Diuerforum Pontificum Summorum,

In quibus magna & multa priuilegia Inquisitoribus cenceduntur,
 & quamplura dubia ad Inquisitionis officium
 pertinentia, dissoluuntur.

Urbanus IIII. ad Inquisitores.

Multa Inquisitorib. priuilegia cōceduntur, et ple-
 raque alia declarantur, quę ad eorū officij spectant.

Urbanus Episcopus seruus seruorū
 Dei, Dilectis filiis Fratribus ordi-
 nis Prędicatorum Inquisitoribus
 hereticę prauitatis, in regno, & do-
 minio charissimi Christo filij no-
 stri Regis Aragonum deputatis, auctoritate Apo-
 stolica & in posterum deputandis, Salutem, &
 Apostolicam benedictionem.

Prę cunctis nostrę mentis desiderabilibus
 catholica incrementum fidei affectantes, nimio
 vtiq; dolore replemur, cum audimus aliquos,
 vel sentimus ad illius deprehensionem quacuq;
 malignitate satagere, vel damnabilibus ipsam
 deprauando reprehensionibus, aut detractioni-
 bus ei abrogabilibus derogando, seu commentis
 eandem mendacibus peruerendo, ad quorum
 iniqua conterenda molimina, eō animosius aspi-
 ramus, quōd in animarum stragē perniciosius eos
 agnosimus cōspirare. Sanē, vt accepimus, in ali-
 quibus partibus regni & dominij charissimi in
 Christo filij nostri illustris regis Aragonū, adeo
 infidelitatis error inualuit, quod ibi quampluri-
 mi à via veritatis prorsus auerisi, eūtes per deuū
 falsitatis, pestiferas ad concutiēdum orthodoxę
 murum fidei machinas construxerūt, molientes
 ipsum fallacium argumentationum impulsibus

C demoliari. Verū licet vbilibet sedis Apostolica
 diligentia cōtra talium dolosam astutiām, ne dif-
 fusius huiusmodi serpat morbus, remedium libe-
 ter adhibeat opportunum; in prædictis tamen
 partibus cupientes anxie, vt negotium fidei iugi
 profectu, elisis omni ferroribus conualeseat, vi-
 gilare ad hęc per nos & alios eo studemus arte
 tius; quo prædictum Regem feruentiorem senti-
 mus ad idem negotium efficaciter promouēdū.
 Prouidimus igitur ibidem ad præfatis personas
 aliquas circumspēctas, pro tanto negotio de puta-
 ri quarū honesta conuersatio exemplū tribuat
 puritatis, & doctrinā fundat erudita labia salu-
 tarē, vt sacro ipsarū ministerio præfate partes ab
 huiusmodi contagijs expurgentur. Vt aut in qui-
 sitionis officij contra hereticos in præfatis par-
 tibus possit efficacius adimpleri, discretioni ue-
 strę per Apostolica scripta mandamus, in remif-
 sionem vobis peccatorum iniūgentes, quatenus
 in charitate Dei hominū timore postposito, vir-
 tutem spiritus induentes ex alto, prædictum offi-
 cium in dictis partibus simul vel separatim aut
 singulariter, prout negotij vtilitas suadebit, ad ex-
 tirpadam de ipsis partibus hereticam prauitatē,
 sub spe mercedis aternę sic efficaciter prosequi
 & exequi studeatis, vt per sollicitudinis vestrę
 prudentiam, de partibus ipsis radix iniquitatis hæ-
 reticę succidatur: & vinea Domini exterminatis
 vulpeculis, quę peruersis moribus demoliūtur
 eandem, fructus afferat catholica puritatis.

I Si

Edito anno
 Domini 1461.

al. desideris
 al. qualicun-
 que.

† omnibus.

† al. pietatis.

† al. negotij.

† Concordat
 textus in ca.
 Vt officium
 de hęc. li. 6.